

## Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

### Liber 2, distinctio 38, circa 2, quaestio 1. (fol. 42rb)

#### Utrum intentio sit actus sive habitus?

Primo quaeritur, utrum intentio sit actus sive habitus? Et videtur quod sit habitus, quia si esset actus, iam non esset in dormiente. Sed vere dicitur de dormiente, iste est bonae intentionis. Ergo non dicit actum sed habitum.

Item, dicit Augustinus, *De bono coniugali*,<sup>2</sup> quod habitus est, quo quis operator, cum opus est. Sed hoc non competit actui, sed habitui.

**Contra**, omnis habitus habet obiectum determinatum. Sed intentio non habet obiectum determinatum, quia ita intendit bonum sicut malum.

#### Respondeo,

dicendum, quod habitus potest accipi dupliciter, scilicet proprie, et tunc dicit qualitatem superadditam potentiae per exercitium actuum, vel per infusionem a Deo. Et sic diffinitur a Philosopho, quod habitus est qualitas difficile mobilis.<sup>3</sup>

Alio modo dicitur habitus communiter, et tunc potest dici habitus quaecumque facilitas potentiae ad actum undecumque potentia facilitetur, nam de generali ratione habitus est potentiam facilitare. Sed talis facilitas

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 38, c. 2, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> Augustinus, *De bono coniugali* cap. 21, par. 25.

<sup>3</sup> Aristoteles, *Categoriae* 6, 8b.

quandoque est respectu obiecti specialis et determinati, aliquando vero respectu obiecti generalis et indeterminati, sicut intellectus potest habere facilitatem ad assentiendum veritati in generali et indeterminate, vel potest facilitari ad assentiendum veritati salubri, quae est secundum pietatem.

Isto secundo modo indiget habitu ad talem actum determinatum eliciendum determinate. Sed primo modo potest habere facilitatem ex sola naturali perfectione ipsius potentiae, ut intellectus subtilis habens habitum alicuius scientiae. Praeterea, hoc quod inclinatur ad actum talis scientiae determinate, nihilominus ex naturali perfectione inclinatur ad actum cognitionis alteri scientiae.

Si igitur quaeratur, utrum intentio sit habitus, dicendum est quod sic, accipiendo habitum communiter et non proprie. Proprie tamen dicitur actum, quia potentia intendens, aut est facilis a sua natura ad illum actum, et sic dicitur actum, aut est per alium habitum alterius, et sic dicitur habitus communiter dicendum.

Et per dicta patet responsio ad argumenta utriusque parti.